

multa dicit: *Tota illa vox Christi foris audita et tota interna divini Spiritus pariter loquentis inspiratio atque persuasio, nihil aliud erat quam excitans et præveniens gratia solius Dei, ejusque ineffabilis misericordiae opus, sed gratia efficacissima, quia congrua, quia cum talibus visis conjuncta, quæ ad Sauli animum expugnandum aptissima esse, et certissimum effectum consecutura Deus prævidit, non autem talis gratia, quæ in ipso conversionis instanti, liberam Paulo cooperationem, liberam consentiendi vel non consentiendi electionem tolleret, quam doctrinam variis Augustini testimoniis confirmat, et post illam rem magis declarans, adjungit: Hinc etiam certo colligimus gratiam prævenientem, quæ non nisi a futuro effectu efficaci gratia est (nam gratia adjucans, sive cooperans, a qua Calvinus semper abhorret, est in ipsa actus productione, sive in ipso conversionis aut alterius cujusque boni operis actu), non tantum natura, sed et tempore interdum hominis cooperationem, seu conversionem prævenire. Unde rursus sequitur a prævenienti gratia, quantumcunque efficaci, humanam voluntatem non determinari, sed liberam relinquere. Quidquid enim voluntatem formaliter determinat, sive in malum, sive in bonum, non potest esse ipso actu voluntatis prius, nisi prioritate naturæ, in quantum videlicet a tali principio ille actus procedit. Nam actus voluntatis, etiam in primo instanti in quo producit, sicuti duplex habet principium a quo fit, Dei gratiam et propriam voluntatem, ita a neutro prius quam ab altero, sed ab utroque simul in eodem instanti naturæ producit; hoc nempe est, quod sapienter Bernardus scripsit; inducitque verba Bernardi, quæ a nobis in superioribus in eodem sensu tractata sunt. Eandem doctrinam inculcat idem auctor in Epistol. ad Roman., cap. 9, ubi pro fundamento efficacis gratiæ scientiam conditionatam supponit, ut in 2 prolegomen. vidimus. Item super Joan., cap. 15, et in Promptuar. Catholico, fer. 6, hebdom. 2 Quadrages., et fer. 3, multa dicit quæ in eo videri possunt; hic enim omnia referre nimis prolixum est.*

25. *Adjungitur Jacobus Paiva.* — Octavo, his adjungo Jacobum Paiva, qui, in libro quarto Orthodoxar. explicat., causam Patrum Societatis Jesu contra calumnias Chemnitii assumpsit. Hic enim, cum libertatem arbitrii cum Lutero everteret, Jesuitas Pelagianismi insimulavit, eo quod libertatem cum gratia conciliarent; Paiva vero ita sententiam nostram interpretatur et tuetur, ut simul præde-

terminationem physicam, non quidem his verbis, sed æquivalentibus, auferat, quia non credit aliter posse Chemnitii errorem refelli aut vitari; unde consequenter ostendit quam injuste huic orthodoxæ sententiæ aliquid Pelagianismi erroris tribuatur. Quæ omnia, ut evidentiis constent, pauca ex multis quæ ille docet, ad verbum proferam. Et primo Jesuitarum doctrinam his verbis proponit: *Et sane (inquit), quamvis nos a divina misericordia pendeamus, quamvis nihil boni operetur fidelis, quod in illo non efficiat Deus, quamvis non solum gratia conferatur ut converti possimus, sed etiam ut convertamur, etsi gratia hæc, quæ ad operandum necessaria est, et velle facit, non sit quæcunque inspiratio aut cogitatio sancta, seu boni propositi suggestio, sed efficaci Dei operatio, quamvis hæc omnia vera admittamus, et ex D. Augustino variis locis elici posse concedamus, homini tamen semper liberum relinquitur divinæ operationi præbere impedimentum, eamque vel amplecti, vel etiam repudiare; et adjungit: Hæcine verba Chemnitii sunt liberum arbitrium a divina gratia sejungentium?* Quod declarans, addit inferius: *Aperte confitemur mentem, nefariis cupiditatibus pressam, et scelerum monstris occupatam, a miserando illo statu respirare nunquam posse, nisi divina gratia alliciatur, et divino Spiritu quasi stimulis quibusdam excitetur. Neque item oblatam sibi gratiam amplectari, nisi peculiaribus Spiritus Sancti impulsibus adjucetur, aut (ut suis utar verbis) nunquam se ad gratiam applicare hominem posse, nisi eadem celestis gratia adjumento sit. Quod tamen non impedit quominus liberum arbitrium ultro gratiam apprehendat, sitque illi liberum eam rejicere et aspernari; et inferius iterum: Quod si voluntas a Deo mota non ultro vult, hoc est, non libere sese ad gratiam applicat, voluntas dici non potest; et infra: Quare qui divina gratia hominum voluntates ita ad justitiam allici putat, ut liberum illis nullo modo sit eam aspernari, et respicere, magis quidem justitiam humanis mentibus a Deo obtrudi, quam efficere ut illam velint, existimare videntur; egregia quidem sententia, quæ et adversarios pungit, et potissimum illorum fundamentum in illos retorquet. Nam sine potestate resistendi ostendit non subsistere libertatem nostram cum divina motione, et ideo Deum non ita facere velle, ut nobis eripiat potestatem resistendi, quia illud magis esset obtrudere justitiam, quam facere ut illam humano modo cum dominio nostri actus velimus.*

26. Unde tandem in hunc modum concludit: *Ex quibus manifestum fit atque testatum, efficientem causam applicationis animi ad gratiam, hoc est, internis Dei vocibus auscultandi, vel ingrate aspernandi, esse tum gratiam ipsam, tum liberum arbitrium. Quæ duo nisi simul concurrant, fieri certe non poterit ut humana mens se toto impetu ad justitiam adjungat. Nam etsi quædam sint quæ Deus in nobis, nullo nostro consensu antecedente, efficiat, ut ad se nos vocare, voluntatem nostram ad justitiæ amorem excitare, huic tamen gratiæ non repugnare atque obsistere, sed ad illam se applicare et admoveere, atque divino beneficio ad se delatam non repudiare, neque nostrum liberum arbitrium divini auxilii capere potest, neque divina virtus in nobis facere, libero arbitrio non consentiente, solet. Unde liquet ex gratia et libero arbitrio unicam causam constari nostræ ad justitiam applicationis. Quare a Theologis nostris appositissime hæc Dei gratia cooperans appellatur, quia una cum libero arbitrio operatur, ut divinam gratiam non respuat, sed complectatur. Nihil quidem, et ad defensionem nostram, et ad veritatis declarationem et probationem, distinctius aut efficacius dici poterat. Et nihilominus P. Cumel male etiam fert quod hunc virum pro nostra sententia allegaverim.*

27. *Testimonium Joannis a Bononia.* — Nono, est grave testimonium Joannis a Bononia, in lib. de Prædestin., ante sexaginta annos evulgato, utique anno 1555, ubi ipse docet libertatem consensus nostri cum divina gratia in hoc consistere, quod voluntas resistere possit et interdum resistat illimet prævenienti gratiæ, cum qua potest consentire et interdum etiam consentit; postea vero addit: *Ceterum non desunt modo homines, quamvis omni pietate prædicti, aliter de libero hominis assensu, dum justificamur, quam nos sentientes, ac ideo Œcumenici Concilii Tridentini decreta obscurare quodammodo conari videntur, dum aiunt habere homines libertatem arbitrii, ut excitationi et admonitioni divinæ resistere possint, sed, his divinis inspirationibus atque monitionibus suppositis, nullum resistere arbitrium. Obscurare autem dixi, quoniam ex dictis Reverendissimi Domini Hieronymi a Bononia, Sanctissimæ Sedis Apostolicæ Nunciæ dignissimi, necnon Archiepiscopi Conitani, Professoris Theologiæ peritissimi, atque sacri Palatii Magistri eximii, apud Carolum Imperatorem V cognomine Maximum Residen-*

*tis, eandem opinionem in sancta Tridentina Synodo fuisse summa diligentia a Patribus discussam, et tanquam minus probabilem optimo jure percepit rejectam.*

28. *Citatur Corduba.* — Consideratur voluntas Dei. — Decimo, solet pro hac sententia citari Corduba, libr. 1 suarum Quæstionum, quæst. 55, dub. 9 et 10, nec immerito allegatur, quidquid in contrarium Cumel conetur. Nam ille auctor pro comperto habet, nullam suppositionem antecedentem, quæ in sensu composito inferat necessitatem, posse simul cum libertate actus stare. Unde in dubio 9, notabili 2, supponit, ut fundamentum ab omnibus receptum, de ratione liberæ potestatis esse, ut, omnibus causis eodem modo se habentibus, absque ulla variatione in se, vel in alia re, prius natura quam in aliquo instanti velit, possit divisim non velle, seu nolle pro eodem instanti. Quod fundamentum recte intellectum coincidit cum illo principio, liberam causam esse quæ, positis omnibus prærequisitis ad agendum, potest agere et non agere. Et ex hoc principio procedit ad difficultatem communem de concursu imbibito tractandam. In qua (omissis opinionibus quas refert et impugnat) in summa distinguit inter concursum ad extra, et voluntatem Dei per quam datur. Et de concursu, dicit esse concomitantem, et non esse conditionem antecedentem, et ita ex hac parte non repugnare libertati; voluntatem autem Dei dupliciter, vel potius tripliciter considerat, sed duo signa sunt quæ ad præsens referunt: unum est, in quo Deus antecederet offert suum concursum, et sic dicit voluntatem Dei esse præviam, et ordine naturæ antecedentem, tamen ut sic non esse voluntatem efficacem respectu consensus voluntatis creatæ, sed tantum generalem, et, illa etiam supposita, posse hanc non consentire. Aliud signum est, in quo Deus efficaciter et in particulari vult concurrere ad talem actum, et ut fiat, et hanc voluntatem Dei negat esse præviam ordine naturæ, ideoque sub hac ratione non esse conditionem prærequisitam, solumque inducere necessitatem consequentem, quia, in secundo signo medio inter illas duas volitiones Dei, intelligitur determinata ad talem actum per conjunctionem ad voluntatem humanam, et prius ratione quam Deus habeat illam volitionem, prævidit hominis voluntatem esse consensuram, et ex hac parte necessitas proveniens ex illa voluntate supponit liberum usum, et applicationem voluntatis creatæ, atque ita non est conditio antecedens, sed

concomitans, et ideo non lædit libertatem.

29. Et in fine addit (quod ad præsens refert), eodem modo philosophandum esse de concursu auxilii divini specialis ad opera gratiæ, vel supernaturalia, et diligendum Deum super omnia. In qua doctrina nunc non discutimus modum explicandi concursum simultaneum Dei, sed solum expendimus Cordubam in eo laborasse, ut non poneret ex parte Dei concursum prædeterminantem voluntatem humanam, sive ad opera ordinis naturalis, sive gratiæ, quia id creditur esse contra primum libertatis fundamentum. Unde non solum tollit prædeterminationem per concursum prævium ad extra, qui sit per modum actus primi, vel tanquam complementum ejus, sed etiam per concursum ad intra, ut sic dicam, seu per voluntatem Dei efficacem, a qua proveniat concursus ad extra, nam dicit talem voluntatem vel non esse efficacem, si est prævia, vel esse concomitantem, si est efficax. Quod etiam aliqui ex nostris docuerunt. Et ob eam causam recedit Corduba a sententia Scoti, dicentis Deum cognoscere futura contingentia in decreto suæ voluntatis, quia decretum illud non potest esse efficax, nisi prævisa prius futura determinatione libera nostræ voluntatis, quia alias tolleretur ejus libertatem. Non solum ergo Corduba nostram sententiam quoad punctum controversiæ et substantiale (ut sic dicam) sequitur, sed etiam indicat fundamentum ejus, sumptum ex conditione libertatis, esse quasi axioma ab omnibus receptum, neque posse convelli, et quoad hoc eandem rationem esse de operibus gratiæ et ordinis naturalis.

30. Proponitur Albertus Pighius. — Undecimo, Albertus Pighius, lib. 6 de Liber. arbitr., paulo post medium, referens illa impia verba Calvinii: *Voluntatem proinde movet Deus, non prout multis sæculis traditum est et creditum, ut nostræ postea electionis sit aut motionis ejus obtemperare, aut refragari, sed illam efficaciter afficiendo*, licet directe contra Calvinum disputet, ita vero agit, ut simul prædeterminationem physicam impugnet, nihilque inter illam et gratiam efficacem, quam Calvinus confinxit, discernat. Unde Calvino dicenti: *Neque secus accipi sententia Christi potest: Omnis qui audit a Patre meo, venit ad me, quam ut efficacem a seipso gratiam doceat*, ille respondet: *Tibi non credimus, Calvine, secus accipi non posse hanc Christi sententiam*. Et hac occasione ex professo probat, nec ex his verbis, nec ex aliis: *Nemo potest venire, etc., nisi Pater traxerit*, neque ex aliis similibus, col-

ligi auxilium prævium, ita ex se efficax, ut liberum arbitrium non possit ei resistere, et sæpius resistat: *Nam trahit Deus, sed volentem, ut Chrysostomus ait, et qui audit, venit, si tamen discat, id est, persuadeatur, quod ex ejus voluntate pendet, quia Deus (ut Cyrillus ait) non vi trahit credentes, sed motione et revelatione ineffabiliter facta*. Hæc ille fere ad verbum.

31. Postea vero, cum Calvinus diceret docendos esse homines divinam benignitatem expositam sine exceptione omnibus qui eam quærunt, sed cum ii eam quærere incipiant, quibus divina gratia aspiravit, nec hanc quidem portunculam de hujus laude discerpendam fuisse. Quæ profecto assertio, in sententia quæ physicam prædeterminationem præviam requirit, verissima est, et tamen contra illam sic insurgit Pighius: *Hoc doces, omnibus expositam Dei gratiam, qui eam quærunt, sed nullos posse eam quærere, priusquam illo suo beneplacito eandem nec desiderantibus, imo acersantibus, intruserit. Quid ergo aliud hic doces, quam nemini eandem esse expositam, nec quærendam cuiquam, ut quæ queri non possit, antequam habeatur, et habita possessaque frustra quæratur, nec in cujusquam, præterquam unius Dei potestate sit ut habeatur aut non habeatur*. Hoc est, Calvine, docere homines? Doctores salutaris, et vere Evangelicos. Certe argumentum, si efficax est, æque procedit contra omnem gratiam præviam ac necessariam, et ex se efficacem, sive dicatur necessitare voluntatem ad exercitium, sive ita determinare ut ei resisti non possit, quia omnis talis gratia a nemine quæri potest, nisi jam habeatur, cum ad illam quærendam necessaria sit, et postquam habetur, frustra quæratur. Est autem argumentum efficacissimum, ut ex supra dictis constat. Nam licet possit quis effugere, dicendo per unam gratiam sic efficacem posse quæri aliam, facillimum est sic fugientem capere, quia nulla posterior gratia efficax quæri potest, nisi per aliam priorem jam datam, unde necessario perveniendum est ad primam, quæ non possit quæri nisi prius habeatur, et ita illa frustra quæratur, et de illa necessario dicendum est, *in unius Dei esse potestate, ut habeatur vel non habeatur*. Ergo cui illa non datur frustra quæratur, imo impossibile est ut quærat, et ita illi non est exposita benignitas Dei. Nec ille cui datur potuit illam quærere, nec oportet illum monere ut per illam aliam quærat, quia inevitabiliter quæret, cum non possit resistere primæ motioni efficaci, nec plus agere potest quam per illam prædeterminetur. Refert

etiam hunc auctorem pro nostra sententia Ledesma, in lib. 3 de Liber. arbitr., cap. 3, 4 et 5. Liber autem quo utor non est in capita divisus, totusque liber est de variis locis Augustini pro libero arbitrio. Ex quibus illud solum quod dicit, § *Hanc autem*, nunc noto; ait enim demonstrare Augustinum, *voluntatem seipsam in sua potestate habere, et seipsa uti, ut ipsa inhærente incommutabili bono, vitam beatam habeat, aversa vero illam amittat*.

32. Produciuntur Ekii. — Distinguntur ordines salvandorum. — Duodecimo, expendere possumus duo testimonia Joannis Ekii, quæ F. Cumel contra nos inducit, nescio quo jure, quia ipse illationis modum non declarat, et verba in uno loco sunt generalia, in alio nostram potius sententiam continent. Unus locus est in Enchirid., cap. 31, in quo Ekius dicit Deum esse primam causam sine qua nihil fit, et specialiter concurrens ad opera bona, et movens omnia, singula juxta uniuscujusque proprietatem, irrationalia naturaliter, rationalia libere. Sed hæc nihil ad causam referunt, omnes enim illa docemus, et ex illis solum inferri potest quod Deus, ut causas liberas modo consentaneo naturæ illarum moveat, non illas prædeterminat, sed indifferentem motionem præbet aut offert, cui illæ causæ vel resistere, vel cooperari possint. Alter locus est in lib. de Prædestinat., centur. 3, num. 67, ubi, ex quodam Henrico Goreheim, duplicem distinguit motionem Dei gratuitam, unam sufficientem, quam Deus nemini denegat; aliam efficacem, quam subdistinguit, uno modo (inquit) ut sit genus motionis, qua specialiter moventur prædestinati, quæ, respersa quodam suavitate odore, intima viscera animæ secundando deiformat, et in celeste desiderium transmutat. Potest et alio modo dici motio efficaciæ, quæ assequitur, consequi gratiam, et si in ea perseverat, salvari, et nihilominus priorem, quæ altioris ordinis est, solis prædestinatis dari. Hæc allegat Cumel, et non amplius, vel inducendo, vel respondendo, illa evoluit. Ille tamen auctor, in posteriori membro vocationis efficaciæ, plus dicit in nostra sententia quam velimus. Docet enim aliquam vocationem esse efficacem ex solo effectu, et non esse majorem gratiam in eo qui consentit, quam in eo qui resistit. Defendit enim ibi opinionem assertentem, in multis eorum qui salvantur, rationem totius prædestinationis, esse bonum usum vocationis. Unde consequenter negat vocationem esse effectum prædestinationis, sed generalis providentiæ gratiæ; negat item

bonum usum vocationis, ut est a libero arbitrio, esse effectum prædestinationis, nedum gratiæ prædeterminantis. In his ergo evidenter eam tollit, et consequenter negat illam esse de ratione auxilii efficaciæ. Distinguit vero ille auctor duos ordines salvandorum. Unus, eorum est qui per communem gratiam salvantur, in quibus datur communis prædestinationis ratio; alius est ordo singulariter prædestinatorum, ex gratuita Dei voluntate, sine ulla ratione ex parte illorum, et his dicit dari priorem modum gratiæ efficaciæ. Verumtamen neque illam ponit hic auctor in motione pertinente ad concursum Dei physice prædeterminantem, sed in motione morali magis suavi, et ad movendum voluntatem accomodata, plane Augustiniano more. Hoc enim evidenter indicant illa verba: *Quæ respersa quodam suavitate odore intima viscera animæ secundando deiformat*, etc. Et item illa motio nihil est aliud quam gratia congrua. Quod ergo ad causam nostram attinet, ille Henricus manifeste docuit nostram sententiam. De Ekio vero nihil certo affirmare possumus, nam in fine illius § subdit: *Nolo tamen existimet me omnia Henrici dicta recipere*. Quod fortasse dixit propter prius membrum gratiæ efficaciæ, nam aliud ipse supponit tanquam fundamentum sententiæ de Prædestinatione, quam ibi prosequitur. Nos autem quoad eam partem sententiam illam rejicimus, quia connexa non est cum sententia de vocatione congrua, ut in cap. ultim. hujus libri explicabimus.

33. Ultra hæc testimonia, quæ graviora sunt, alia breviter percurremus et insinuabimus, non quia Doctores minoris auctoritatis sint, sed quia obiter vel nimis breviter punctum attingunt; eos tamen non omittendos censuimus, quia vel in modo loquendi, vel in sententiis quas obiter proferunt, satis indicant quemdam unanimem consensum in hoc principio, quod efficacitas gratiæ quoad consensum actualem non prædeterminat voluntatem, sed ex ipsius libero usu pendet. Primo ergo in hoc secundo ordine pono Cardinalem Contarenum, in lib. de Prædestinat., ubi inter alia, non longe a fine, ita concludit: *Quo fit ut non ex gratiæ ipsius efficacitate, sed ex nostrâ voluntate pendeat, quominus illa cordis obstinatio perrumpatur*. Ubi non negat gratiæ concursus, sed nomine efficacitatis illam intelligit, quam gratia ex se habeat ad determinandam sua vi voluntatem.

34. Jodocus Clichtovæus. — Secundo, allego Jodocum Clichtovæum, in Compendio asser-